

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Philosophia x
cum fonte primo

Facere docet philosophia, non dicere;
et hoc exigit ut ad legem suam quisque
uiuat, ne orationi uita dissentiat,

ut uerbis opera concordent, ut ipse
ubique pars sibi idemque sit.

Obserua si uestis tua
domusque dissentiant, nunquid in te
liberalis sis in tuos sordidus, nunquid
cenes frugaliter edifices luxuriose;
unam semel ad quam uiuas
regulam pretende, et ad hanc omnem
uitam tuam exequa. Quidam se domi
contrahunt, dilatant foris et extendunt.

Seneca epistola XX.

Aliud propositum est declamantibus et
adsensionem coronae captantibus, aliud
his qui iuuenum et otiosorum aures
disputatione varia aut volubili detinent:
facere docet philosophia, non dicere,
et hoc exigit, ut ad legem suam quisque
uiuat, ne orationi uita dissentiat
vel ipsa inter se uita; <ut> unus sit
omnium actio[dissentio]num color [sit].
Maximum hoc est et officium sapientiae
et indicium,

ut uerbis opera concordent, ut ipse
ubique par sibi idemque sit.

‘Quis hoc praestabit?’ Pauci, aliqui
tamen. Est enim difficile [hoc]; nec hoc
dico, sapientem uno semper iturum
gradu, sed una uia.

Obserua te itaque, numquid uestis tua
domusque dissentiant, numquid in te
liberalis sis, in tuos sordidus, numquid
cenes frugaliter, aedifices luxuriose;
unam semel ad quam uiuas
regulam prende et ad hanc omnem
uitam tuam exaequa. Quidam se domi
contrahunt, dilatant foris et extendunt:
uitium est haec diversitas et signum
vacillantis animi ac nondum habentis
tenorem suum.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium
epistulae morales*, 20, 2-3 (L. Reynolds
ed., vol.1, pp.53-4, ll.14-24, 1-7).